



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine  
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et  
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac  
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac  
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres  
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim  
Consideratum

**Gibert, Jean-Pierre**

**Coloniæ Allobrogum, 1735**

Methodi Vigelianæ Liber V. De reliquo Jure Pontificio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

*Reg. I. Quest. V.* quotiès visitandum sit; nimis generalis est: dicendum erat, oportere visitare, quotiès necessarium; non verò dicendum, sæpè.

*Reg. II.* restringi debet ad Casus, in quibus Visitatio annua possibilis est & necessaria. Sunt Districtus, qui visitari nequeant quotannis, sive propter eorum amplitudinem, sive propter alias occupationes Prælati.

Unum est verbum in *Quest. VI.* de Antecedentibus Visitacionis, & pertinet ad Visitacionem Archiepiscoporum, qui Suffraganeos consulere debent, iisque Statutum Visitacionis communicare.

*Quest. VII.* agit de Adjunctis Visitacionis, & de Officiis Visitantium: membrum hoc collocari potuisset sub *Quest. I.* nam unumquodque Officium est causa Visitacionis, cum hæc fieri debeat, ut illud impleatur. Singula suas Regulas habent, proinde, cum hic sint *Regule XXXI.* numerari possunt; 1. *Officia.* Quod dicitur hic, rectum videtur, sed ordo non est accuratus. Officia dividere opus erat in plures Classes; nempe, ergà Personas, ergà Ecclesias, aliave Loca Pia, & ergà Bona Ecclesiastica. Personæ subdividendæ erant in Clericos, Religiosos, & Laicos: Ecclesiæ, in Parochiales, Cathedrales, Collegiatis, Monasteria, Oratoria, vel publica, vel privata. Continua serie disponendum erat unumquodque membrum Divisionum aut Subdivisionum, juxta ordinem Dignitatis; ideòque, initio factò à Personis, non transire ad Ecclesias, priusquam de Personis absoluta esset Disputatio.

*Reg. I.* Autor exorsus est ab Ecclesiis. Quod dicit de cura Visitatoris, ad earum reparationem adhibendâ, extenditur ad omnia Loca Pia.

*Reg. II.* præcipue respicit Personas, in quibus corrigendum est quodcumque emendationem postulat.

*Reg. III.* respicit Curatos, qui examini debent, circa administrationem Sacramentorum, Missam, & Officia Divina.

*Reg. IV.* spectat etiam aliquatenus ad Parochias; nam Catechumenatus erat præparatio ad Baptisma: quod hic dicitur, exolevit.

*Reg. V.* pertinet ad Laicos. *Reg. VI.* Visitatorem ipsum, qui non sua, sed ea quæ sunt JESU CHRISTI querere debet. *Reg. VII.* Abbates, quos deponere oportet. *Reg. VIII. & IX.* Monachos delinquentes, aut contumaces; quid circa eos faciendum sit. Eadem est incuria in Regulis sequentibus. Sufficit observavisse, quomodo illæ sint ordinandæ, & aliquot exempla negligentia attulisse. Vitium hoc ab earum lectione abstrere non debet: utiles sunt, ex præsertim, quæ Procuraciones respiciunt, & crebrò in praxim veniunt: sed interim observandum est, Canones, qui jussurunt, ut Procuraciones impræscriptibiles forent, exolevisse, & meritò: nam Exceptio ab illis potest acquiri per Privilegium, ut docet *Exceptio V. Reg. XXVI.* æquum est igitur, ut illa, præscriptione acquiri possit: præterea, Interdictum in his Canonibus contentum, est de Jure Humano, quod præscriptibile est.

#### *Methodi VIGELIANÆ; Liber V. de Reliquo Jure Pontificio.*

LIBER hic omnium brevissimus est, & respicit Jus Civile potius, quam Canonicum. Argumentorum Pars major Temporalis & Sæcularis. Agitur de Jure Publico; de Jure Personarum, de Potestate Patrum, Dominorum, Tutorum, & Curatorum; & Jure Rerum, de Dominio, de Possessione, de Causis lucrativis, & conditionibus; de Obligationibus & Actionibus, de Contractibus & quasi Contractibus; de Delictis & quasi Delictis; de Exceptionibus, & de Functione Officiorum. Inscriptioes horumce Titulorum è Jure Civili petita sunt: alii TITULI de Censibus, de Restitutione in integrum, de Verborum significatione, de Regulis Juris,

sunt quidem in Jure Canonico, sed originem trahunt è Jure Civili, suntque referti Legibus Civilibus, aut Canonibus; ex iis desumptis. Ex his quatuor Titulis, duo novissimi sunt expressè in *Lib. V. Decretalium*: illic tamen juxta ordinem Temporum *Capita* digeruntur; hic materia juxta ordinem Alphabeticum distribuitur. TIT. de *inintegr. Restit.* est circa finem *Libri I. Decretalium*. TIT. de *Censib.* est in *Libro III.* earundem *Decretal.* sed longè aliter dispositi, quam hic.

#### OBSERVATIONES in CAP. I. de JURE PUBLICO.

Autor meritò affirmat, majorem Partem rerum præcedentium pertinere ad Jus Publicum; nam *Lib. I. de Judiciis publicis*, nihil aliud respicit. *Lib. II. de Judiciis privatis*, reducit ad enumerationem eorum, quæ pertinent ad autoritatem Magistratus, & Judicis Ecclesiastici; ad viam procedendi; ad Sententias, earumque Executionem; ad Appellationes &c. & hæc omnia sunt Juris Publici: *Lib. III.* loquitur de *Bonis Ecclesiasticis*, & differit de Promotione ad Dignitates, & Beneficia, eorum Juribus & Obligationibus: Hæc autem omnia sunt Juris Publici. In *Lib. IV. de Actibus Ecclesiasticis*, exponuntur ea, quæ respiciunt Fidem, Doctrinam, Prædicationem, Divinum Officium, Missam, Sacramenta; circa quæ nihil est, quod publicum non sit. Utilitas, quam Privati ex his rebus præcedentibus accipiunt, non obstat quominus, ea aliquatenus ad Jus Publicum pertineant, quod eas ad Bonum publicum constituit. Autoritas publica, seu Divina, seu Humana, illas instituit, tam pro Bono publico, quam privato Membrorum Reipublicæ, sive Sacræ, sive Sæcularis. Unde nascitur Divisio Boni publici, in *Sacrum*, quod Religionem tangit, & *Profanum*, quod Imperium immediatè attinet.

Varietas materia priorum Regularum XIV. non finit, ut eas ad germanum ordinem revocemus. Sufficit observare, quoad *Reg. I.* penas pecuniarias ab Ecclesiâ impositas, esse pœnitentias, quæ in opera pia erogari debent: In *Reg. II. Cap. 3. de Censib.* loqui de *Abbate*, non de *Episcopo*. Verbum, *Vestigal*, quod ibi usurpatur, non convenit Argumento Textus; nam significat Tributum, seu Impositionem in merces, quod *Reg. V.* dicit, Principi reservari, juxta *Cap. 10. de Censibus*.

Quod dicitur in *Reg. III.* non deberi Censum, cujus causa ignoratur; expositione indiget: Vid. GONZALEM in *Cap. 5. de Cens.* ubi refert opiniones in utramque partem, & putat, si pluribus annis continuis solutus fuit sub certo Titulo, eum deberi, quamvis is, cui solutus est, non probet suum Titulum; & si possessio sit immemorialis, eum deberi, quamvis ignoretur causa, propter quam solutus fuit.

*Cap. de Treugâ & Pace* laudatum in *Reg. VIII.* loquitur de Bellis inter Privatos toleratis potius, quam approbatis per Principes. Conventicula, de quibus agitur *Reg. XI.* sunt Comititia sine autoritate legitima coacta. *Reg. XII.* una est ex insignioribus: scilicet, nullum Corpus seu Collegium constitui potest sine autoritate Superioris: per quem intelligitur Princeps, si Corpus Sæculare sit; Princeps & Ecclesia, si Corpus Ecclesiasticum sit.

*Regule X.* sub Titulo de *Studio Artium Liberalium* existentes, non continent omnia quæ circa hoc Argumentum in Corpore Juris reperiuntur. Probatur id, per inspectionem Tractatus de *Irregularitate in specie*, TIT. de *scientia defectu*; plures ibi Textus afferuntur circa Studium Juris Civilis & Medicinæ, qui hic omittuntur: perinde ac Privilegia Professorum & Scholarium in Theologiâ, quæ sub illo Titulo exposuimus.

Multi sunt Textus in TIT. de *Magistr.* qui conveniunt *REG. XV.* quæ jubet, ut Magistri in Artibus instituantur: ii laudandi erant. *REG. XVII. XVIII. XIX.* quæ